

Librario membranae parco visum fuisset eo ad complendum *Ezechielem* uti. Dehinc vero usque ad finem inoffensus decurrit, excipiturque a *Daniele*, qui rursus *Hieronymi* Praefatione munitus est hoc initio litera quadrata: *Danielem Prophetam iuxta Septuaginta Interpretes domini saluatoris ecclesie non legunt &c.* Propheta ipse eodem scripturae genere incipit, sed admodum mutilus est; deficit enim a C. II. v. 44. usque ad C. IV. v. 33. Item a C. V. v. 17. usque ad C. XIII. v. 14. Ultimus demum five 42. Versus C. ult. deest. *Prophetas minores* generalis *Hieronymi* Praefatio antecedit hoc rubro litera quadrata: *Incipit Prologus Duodecim Prophetarum. Non idem Ordo est duodecim Prophetarum apud hebræos &c.* Sunt omnes integri, titulisque rubricatis quadratisque gaudent usque ad *Aggaeum*, ut supra dictum est, cuius partem, uti et sequentia ex hoc venerandae antiquitatis monumento deperiisse, omnino dolendum est. Praefationes *Hieronymianae* diversimode ab editis discrepant.

XLVII. VI. F. 25.

419 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 61. 4. columnis tribus, media Textus, utrinque Glossarum, probe exaratus, rubricisque distinctus *Danielem Prophetam* complectitur ex interpretatione vulgata. Praeit, ut in *Bibliis glossatis*, *Hieronymi* Prolo-

gus: *Danielem prophetam iuxta LXX. interpretes domini saluatoris ecclesie non legunt &c.* nomine tamen Autoris subpresso. Sequuntur Excerpta partim ex altera *Hieronymi* Praef. ad *Pammach. et Marcellam*, quae legitur edit. *Vallars.* T. V. col. 617. partim e *Glossa ordinaria Walafri Strabi*, prout habetur in *Bibl. glossatis*. Ita et deinceps Textus *Glossa ord.* et *interlineari* stipatus procedit, quae tamen finem versus sensim deficiunt, et c. 14. penitus cessant. Exemplum mendis non caret. Ita statim sub initium C. I. legitur *arphaxat* pro *Asphenez* (אשפנז) et glossa interlinearis *equorum domitor* ponenda ad *Nabuchodonosor* ridicule ponitur ad *prepositum eunuchorum*. In fine deest integer Versus 42. *Tunc rex ait: Paueant omnes &c.*

II. fol. 59. p. 2. minuto characterere Compendium *Chronologicum*, quod incipit: *Presens seculum in duos status distinguitur. seu in certa tempora. Primus status qui dicitur uetus ab adam usque ad Christum &c.* Atque hunc Statum tantum enarrat Noster, insertis ex *Historia sacra* successione *Patriarcharum, Judicum, Regum et Sacerdotum*, e profana vero *Regum Persiae, Aegypti et Syriae*, prout habentur in *Eusebii Chronico*.

XLVIII. VI. E. 5

Codex membraneus lat. Sec. 293 X. Folior. 103. f. eximiae notae, luculente scriptus, rubricis di-

distinctus et optime servatus complectitur *Machabaeorum Librum I et II.* ex Interpretatione vulgata. *Librum I.* anteit Elenchus *Capitum* hac inscriptione miniata: ✠ *Incipiunt Capitula Libri Machabeorum.* Horum censentur LXI. hoc initio: *I. Ubi eversa hierusalem consenserunt iudaei edicto regis sacrificare idolis. II. Ubi lex dei exusta est iussu regis antiochi populo sacrificante idolis &c.* Atque haec 4. infumunt folia. Dein: *Incipit Liber Primus Machabeorum.* Decurrit hic absque notabili discrepantia ab Impressis hodiernis, habetque notata in margine non tantum LXI. illa Capitula seu *Lectiones*, sed etiam a manu paullo recentiore XVI. modernae distributionis Capita. Ad calcem litera quadr. ut in omnibus Titulis, legitur: *Explicit Machabeorum Lib. Primus*, et continuo: *Incip. Capitula Libri Secundi.* Sunt haec numero LV. et hoc initio. *I. Vbi occisus est antyochus rex in templo nanea* (a) *sacerdotibus cum his qui secum erant. II. De igne sacrificii qui fuit absconditus in puteo &c.* Occupant paullo plus quam 2. folia, et mox: *Incipit Liber. Secundus. Machabeorum.* Eadem ratione, qua prior, nisi quod Capita distributionis modernae in margine non notentur. Speciminis ergo adscribam finem C. XII. qui *fol. 96. p. 1.* habetur: *et facta conlatione! XII milia. dragmas argenti. misit hierusolimam. offerri pro peccato sacrificium. bene et religiose de resurrectione cogitans. oratione*

et oblatione pro defunctis; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret. superfluum uideretur. et uanum orare pro mortuis! et quia considerabat quod hii qui cum pietate dormitionem acceperant. optimam haberent repositam gratiam; sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare! ut a peccato soluerentur; In calce adiectum: *Explicit Liber Machabeorum. Deo Gratias.* Nullus ambigo, Libros hos olim ad integra Biblia pertinuisse, quae iactura sane dolenda intercidere.

XLIX. IX. H. 6.

Codex membraneus lat. Sec. 776  
XIV. Folior. nunc 101. 8. minute sed eleganter per duas columnas exaratus, et quondam *Alamanni Corraducii* Nepotis, ut videtur Viri docti *Rudolphi Corraducii* J. U. D. et sub *Rudolpho* II. Vicecancellarii Imperii, de cuius relicta Bibliotheca egit *Lambecius* noster *Comment. L. I. p. 65.* edit. *Kollar. col. 136.* continet *Novum Testamentum*, cui primo avulsum est initium usque ad verba *Matth. C. II. v. 20. vade in terram Israel;* dein pars Evangelii *Lucae* a *C. X. v. 19* verbis: *et super omnem virtutem inimici*, cum toto *Jobanne*, *Epistola Pauli ad Rom.* et initio *I. ad Cor.* usque ad verba *C. IX. v. 2. tamen vobis sum, nam signaculum apostolatus mei &c.* Libris singulis praefixa sunt nota Argumenta. *Actus Apostolorum Epistolis Paulinis* postponuntur. *Job. I. c. 5.* adest quidem utrumque

que